Tentamen medicum, inaugurale, de scorbuto : quod annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Richardus Kiernan, Hibernus, Societ. Reg. Med. Edin. Sodal. uet et Soc. Phys. Chir. Soc. Hon. et Praes. Ann.

Contributors

Kiernan, Richard.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k9qj8zug

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

TENTAMEN MEDICUM,
INAUGURALE,
DE
SCORBUTO.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

RICHARDUS KIERNAN,
HIBERNUS,
Societ. Reg. Med. Edin. Sodal.
Ut et Soc. Phys. Chir. Soc. Hon. et Praes. Ann.

Ea, ut potero, explicabo; non vero quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero; sed ut homunculus unus ex multis, probabilia conjectura sequens.

CICERO.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M.DCC.LXXXIII.

Mr Jaffray with compts
from his hble Servt
The Author

Fratri ſuo dilectiſſimo,

OLIVER KIERNAN,

De Cherrybrook in comitatu Longfordenſi,

ARMIGERO;

Nec non,

Amico ſuo integerrimo,

LAURENTIO KIERNAN,

ARMIGERO,

Juris-conſulto apud Londinenſes ſpectatiſſimo;

Illi, ob paternam in ſe collocatam curam;

Huic, ob ſingularis amicitiae

Ac favoris innumera officia;

Utrique, in animi gratiſſimi,

Amoriſque minime fucati documentum,

Haſce ſtudiorum medicorum primitias

D. D. D.

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24928732

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

SCORBUTO.

DE hujus morbi antiquitate multum inter medicos disputatum est; nunc autem scorbutum antiquis satis fuisse notum, inter omnes fere convenit: Utcunque vero se res habeat, certe parum aut nihil refert, nec facile dijudicatur lis, ex eo quod historias morborum, ab iis traditas, mancas et imperfectas esse, omnes hodierni consentiant. Quae cum ita sint, signa morbi a recentioribus tradita, Lindio praesertim celeberrimo, cui multa scorbuto vero laborantium millia videre contigit, enu-

merare conabor; ejuſque veſtigia prementi, morbum in tria ſtadia dividere liceat.

STADIUM PRIMUM.

Incipit inſolita laſſitudine, pigritia, ſedendi et decumbendi amore; moeſtitia maeroreque frangitur animus. Ægri facies palleſcit, tumeſcit, et quae partes antea rubicundo colore nitebant, ut oculorum anguli, jam colore obſcure flaveſcente ſordeſcunt. Magna eſt debilitas, niſu leviſſimo ſpirandi difficultas adeſt, cor celerrime palpitat; doloribus variis vagiſque pectoris praeſertim et articulorum torquetur aeger; adeo debilia fiunt genua, ut corpus vix ſuſtentare queant. Tumeſcunt gingivae, pruriunt, et leviſſima cauſa ſanguine fluunt, deinde quaſi lividae, ſpongioſae et fungoſae evadunt, (quod morbi ſignum certiſſimum eſt), et halitus graviſſime olet. Cutis initio plerumque ſicca aſperaque fit, in eaque maculas diverſi coloris et magnitudinis videre eſt, a ſubrubro in lividum colorem

plerumque

plerumque abeuntes; nullam non corporis partem infeſtant hae maculae, plurimae vero tibias cruraque deformant; in facie autem raro cernuntur.

STADIUM SECUNDUM.

Membra, ingraveſcente jam morbo, lividis dolentibuſque tumoribus afficiuntur, genua praeſertim tumida, rigida, pene immobilia fiunt; muſculis pone foemora poſitis admodum jam rigeſcentibus, crura foemora verſus retrahuntur. Animi nuncio laeto facile exhilarantur, moeſtitia autem vel etiam vano timore facillime franguntur; aeger ſortem ſuam ſine fine plorat, quandoque, infantis inſtar, a lachrymis temperare nequit. Color faciei in luridum lividumque convertitur; et dolor pectoris jam multum ingraveſcit; minimo movendi niſu miſer ſaepe deficit, et nonnunquam animam ſubito efflat. Mens autem, et ciborum appetentia, adhuc fere integra manent.

STADI-

STADIUM TERTIUM.

Jam omnia morbi ſigna in pejus ruunt; vaſa rumpuntur, haemorrhagiae ex diverſis corporis partibus, praeſertim ex ore, naribus, anoque, contingere ſolent; dentes vacillant, et ex acetabulis ſuis excidunt; veterum ulcerum, quae jamdiu coaluerant, cicatrices aperiuntur, et callus qui, multis antehac annis elapſis, oſſa fracta agglutinaverat, ſolvitur; leviſſima cutis vulnuſcula, in ulcera dolentia cruentaque degenerant; fungique in iis tanta cum celeritate germinant, ut nullo medicamento, aut etiam ſcalpello, reprimi poſſint. Gravis nunc anxietas magnaque moeſtitia adſunt; mens fere ſemper ſana, cibique appetentia ſaepe ad mortem uſque manet; in ipſo fere mortis articulo bene ſe habere videntur, praeſertim dum lecto recumbunt, modo abſint diarrhoea et ptyaliſmus: Spirandi difficultas

augetur,

augetur, et pulſus, ut per totum morbi curſum, debilis; non raro, parvulum poſt motum, aut aërem libere admiſſum, ſine dolore placide moriuntur. Alvus per totum morbi decurſum ſaepe pertinaciter aſtricta; aliquando vero diarrhoea, perſaepe cruenta, torminibus miſerum torquet; urinae ſtatus varius eſt, etiam in eodem aegro; ſed plerumque rubra, et poſt horas aliquot pellicula oleoſa obtegitur; lingua in hoc malo fere naturalis: Caput raro aut nunquam adficitur, niſi ſuperveniat febris, quod rariſſime evenit; ſi quando vero accidat, aegrum e medio tollere fertur. Scorbutus quandoque hydrope, ictero, aut phthiſi pulmonali, clauditur; nec praetermittendum eſt, aegris hoc morbo laborantibus ſalivam, praeſertim hydrargyro adhibito, facile et copioſe moveri.

In mortuorum ſectionibus, oſſium epiphyſes, coſtarumque cartilagines, ſolutae inveniuntur; in tela celluloſa, inter muſculos, etiamque inter ipſorum fibras, ſanguis magna quantitate concretus apparet; muſculique

culique crura flectentes eo infarcti, usque adeo rigidi tumidique fiunt, ut membra extendi nequeant; vi autem modica facillime rumpuntur. Qui de hoc morbo ante Lindium scripsere, omnes fere de viscerum putredine verba faciunt; hos vero maculis lividis, cruore effuso natis, gangraenaeque speciem prae se insidiose ferentibus, deceptos fuisse Lindius affirmat; eosque hoc morbo necatos, nec pejus olere, nec citius in putredinem ruere, quam ullo alio morbo interfectos.

Hic morbus nunquam contagiosus evadit, nec terra marique diversus.

DEFINITIO MORBI.

Morbus non contagiosus; asthenia, stomacace, in cute maculae diversicolores, plerumque livescentes, praesertim ad pilorum radices.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Noſtri morbi diagnoſis ab elephantiaſi, ſyphilitide, et omnibus aliis morbis, ex definitione ſupra tradita, facillima evadet.

CAUSÆ REMOTÆ

In praediſponentes vel excitantes dividendae ſunt. Primae ſunt ille corporis ſtatus, qui quoſdam prae aliis ſcorbuto opportunos reddit, qualis eſt

DEBILITAS.

Illos enim praeſertim, quibus vires morbis antecedentibus fractae fuerant, ab illuſtriſſimo Kramer, qui, ſaeviente bello Germanico, in exercitu Imperatoris medicinam exercebat, hoc morbo correptos fuiſſe memoriae traditur; dum caeteri milites qui febribus non laboraverant, adhuc immunes manerent. Et celeberrimus Lindius nautas, ex morbis acutis emergentes, ſcorbuto imprimis obnoxios fuiſſe refert, atque illos qui

eodem

eodem morbo antea laboraverant, quique hydrargyro utebantur, morbo citiſſime correptos fuiſſe. Ac Joannes a Bona foeminas magis quam viros huic malo opportunas eſſe memorat.

TRISTITIA.

Plurimi indubitatae fidei auctores, hujus cauſae vires efficaciſſimas eſſe aſſerunt; melancholicos enim, languidos, timidoſque, poſitis cauſis excitantibus, nunquam immunes evadere teſtantur; et hoc confirmatur ex eo, quod quibus animus eſt impavidus, hilaris, et laetus, rariſſime corripi ſoleant.

CAUSÆ EXCITANTES.

Harum praecipuae eſſe videntur,
Cibi inopia;
Cibus parum nutrimenti praebens;
concoctu difficilis;
Frigus et humor;
Deſidia;
Animi pathemata ſubito deprimentia.

Cibi

Cibi inopia.—Qui enim fame pereunt, ſemper ante mortem ſcorbuti ſignis corripiuntur; dentes vacillant, ſpiritusque graviſſime foetet. Idem quoque fertur de iis qui, religionis ergo, longam tolerant inediam.

Cibus parum nutrimenti praebens.--Clariſſ. Milman in Act. Med. Lond. duarum paupercularum caſus memorat, quas, propter res domi anguſtas, pane, theaeque infuſione victitantes, dirus invaſerat ſcorbutus; et inter Italiae ſeptentrionalis incolas, qui, anona ingraveſcente, coctis herbarum radicibus vivere cogebantur, ſaevam fertur edidiſſe ſtragem.

Cibus concoctu difficilis.—Ex diaeta nautica, quae ex farina non fermentata, piſcibus carnibuſque duris et ſalitis, plerumque conflatur, morbus hicce ſaepiſſime oritur; talem autem diaetam concoctu eſſe difficilem, parumque nutrimenti, fractis corporis

et praeſertim ventriculi viribus, praebere, omnibus luculenter patet.

Frigus humorque.—Locis demiſſis et paluſtribus, hunc morbum olim fuiſſe endemicum, ibique ſaevam edidiſſe cladem, ex variis auctoribus colligitur. Narrat ill. Van Swieten, Batavos talia loca incolentes, tempore praeſertim brumali, graviter hoc morbo tentari, dum alii eorundem, eodem tempore ſimili victus regimine utentes, loca autem ſicca habitantes, immunes evadunt; locaque hoc morbo olim vexata, nunc, paludibus exſiccatis, hoc malo vacare, conſtat. Mari quoque, procelloſa nimboſaque tempeſtate, ſaepius quam ſereno ſub coelo, graſſatur; aëreque humido ſemper ingraveſcit. Inter nautas, quos veſtimentis culcitiſque madidis, uti dura cogit neceſſitas, ſaevire ſolet; dum praefecti etiam inferioris ordinis, qui diaeta eadem aluntur, ſed qui veſtimenta madida mutandi copiam habent, quibuſque lectis ſiccis dormire datur, ab hoc malo plerumque immunes evadunt.

Deſidia.

Desidia.—Nautae assiduo labore occupati hoc morbo raro vexantur; mari autem tranquillo, propter ignaviam, cito corripi solent: Milites vero classici, quibus per otium ignaviae indulgere licet, primi semper scorbuto plectuntur. Terra quoque, in exercitu pedites magis quam equites hoc morbo tentantur; eo quod hos magis quam illos occupari necesse est: Quo magis etiam labori homines antea assueti fuerant, eo magis scorbuto semper periclitari videntur; hoc illustrissimus Linnaeus, epistola sua eleganti ad clarissimum Lindium, confirmare videtur: Dicit, " Si fabri aut metalli fossores, qui gravissimo labori assuescunt, aliquando laedantur, ut lectum chirurgi petant et quiescant, dum consolidatur vulnus, interim scorbuto saepius ita inficiuntur, ut vix evadant." Et celeberrimus refert Van Swieten, se multos vidisse, qui laboriosa vita tantum acquisierant pecuniae, ut aetate provecti, leni in otio vivere possent, quique, solito neglecto labore, brevi in scorbutum inciderant.

Animi

Animi pathemata ſubito deprimentia.— Horum effectus exemplum inſigne, quod, Breda obſeſſa, ſibi vidiſſe contigit, refert Vander Mye; fama nempe rerum male geſtarum pervulgata, morbum graviorem frequentioremque ſtatim factum eſſe; poſt laeti vero nuncii adventum, malum quaſi penitus coercitum fuiſſe, memorat: Necnon ab egregio illo viro, qui Anſonii navigationem circa orbem terrarum depinxit, adverſis quibuſdam, quae feliciter in patriam renavigandi ſpem minuebant, contingentibus, malum tanta cum violentia ſaeviſſe, ut, qui ultimo morbi ſtadio tenerentur, perierint; qui vero adhuc ſuo munere fungi valebant, ſtatim lectis fuiſſe affixos, memoriae traditur.

DE CAUSA PROXIMA.

Varii varie ſuper hac re cenſuere, vel potius ſomniavere medici. Alii ad ſtatum ſanguinis acidum, alkalinum, rancidum; alii

ad

ad ſtatum ſanguinis ſulphureo-ſalinum, vel ſalino-ſulphureum, cauſam mali referentes; ſed jam hae periere hypotheſes. Aliis vero ſummi nominis viris, putredini (quae nunc inter medicos plurimum obtinet opinio) hunc morbum tribuere placuit. Talem autem hypotheſin fundamentis parum ſtabilibus inniti, nullamque in hoc malo ſanguinis exiſtere putredinem, probare conabor. Clariſſ. Pringle, ejuſque aemuli, ſcorbutum ex carne putrida, aliiſque cauſis putridis, ſemper ortum habere contendunt. Experientiae vero gravium auctorum haec ſententia repugnat: Duo jam tradidi exempla, quibus hicce morbus pauperculas, diaeta maxima antiſeptica viventes, ſaeviſſime invaſit; et celeberrimus Hope, in praelectionibus ſuis botanicis, de quodam medico verba facit, qui, dum experimenti cauſa, pane vel ſaccharo victitaret, diro corripiebatur ſcorbuto: Saccharum autem, ex periculis clariſſimi Pringle, putredini vehementer occurrere luculenter probatur. Apud Lindium etiam plurima hujus mali ſaeviter

graſſantis

graſſantis exempla, cibus licet animalis vegetabiliſque recens quotidie et copioſe porrectus fuerit, videre eſt.

Quanquam ſanguis non putridus aliquando non concreſcat *, nihil tamen certius eſt, quam ſanguinem putridum nunquam coire poſſe †: At in hoc morbo, ex clariſſimi Lindii experimentis, ſanguinem ſemper concreſcere invenitur; centum ſcorbuticis, in omnibus morbi ſtadiis, venam pertundi curabat; ſanguinemque, etiam in poſtremo ſtadio, firmiter coiiſſe, ovique

* Illuſtriſſimus noſter Cullen in tetano rem ita ſe habere refert; et pariter exemplum tradit hominis epileptici, cui ſanguis, paroxyſmo praeſente, miſſus non concreſcebat; ſanguis vero, abſente paroxyſmo, detractus bene coivit.

† Putredo omnia vincula partium animalium rumpit, humores alioquin coagulabiles, cruorem, lympham, ovi albumen, amnii liquamen, in acre, et nullo porro veneno coagulabile, tabum reſolvit, &c. Vide Alberti Halleri de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus opus.—*Tom.* iii. *p.* 137.

que recens positi albumen odore saporeque retulisse, refert. Clarissimus Rouppe, similibus periculis institutis, sanguinem missum adeo densum invenit, ut morbum nimiae potius sanguinis densitati tribuendum esse censuerit. Pluribus quoque hoc morbo necatis, quos Poupartio et supradictis auctoribus dissecare contigit, cor et musculi sanguine concreto distenta inveniebantur: Rouppeus praesertim affirmat, musculos adeo fuisse rigidos, ut lignum duritie aequarent.

Si sanguis putridus et acer esset, sicuti a nonnullis asseritur, febrem excitare oporteret; sed in hoc malo febris raro aut nunquam occurrit. Praeterea, sine aëris fixi evolutione, putredo accidere nequit; aër autem in venas injectus convulsiones, et mortem subitam, producit. Celeberrimus Pringle equidem, ipse putredinis vindex acerrimus, hanc objectionem ingenue fatetur.

Denique, si sanguinis putredo scorbuti causa proxima esset, animi pathematis excitantibus, brevi tempore, ac quasi subito,

vix

vix tolli poſſet. Attamen nuncio laeto et ſpe victoriae, hoc malum cito et penitus fuiſſe ſublatum, nullis adhibitis remediis, celeber. Ives et Vander Mye memoriae tradunt. Fidem etiam ſuperare videtur, pathemata deprimentia, fluidorum putredinem, derepente, vel gignere vel intendere poſſe; non deſunt autem exempla, quibus ſcorbutum violenter et ſubito excitarunt; et modo affectos, brevi e medio ſuſtulerunt. *Anſon's Voyage.*

His omnibus igitur conſideratis, fluidorum putredinem diri hujus mali cauſam proximam non eſſe, concludere fas eſt.

Hac itaque ſententia improbata, cauſam proximam nullatenus in fluidis exiſtere, alibique inveſtigandam eſſe, cenſemus; ad hoc exequendum nulla ratio potior, quam morbi cauſas earumque effectus perpendere, videtur.

Omnia hujus morbi indicia ſummam ſolidorum debilitatem et flacciditatem denunciant; et cauſae quas iterum perſtrin-

gere

gere liceat, ad tales gignendos effectus imprimis idoneae videntur.

Cibi inopia.—Corpus humanum vitae actionibus quotidie deteritur, ipsiusque vires, nisi ingestis idoneis reficiatur, deficiant necesse est.

Cibus concoctu difficilis.—Hic diuturno usu ventriculi vires convellit, parumque nutrimenti ad corpus restaurandum praebet; unde effectus, antedictis similes, oriantur oportet.

Frigus humorque.—Horum actione conjuncta, graviores semper in corpus humanum eduntur effectus, quam si seorsim egissent; quod oriri videtur, ex eo quod (teste illustrissimo Culleno) evaporatione generetur frigus; de hujus vero totum corpus, ventriculumque praesertim, debilitandi viribus adeo inter omnes convenit, ut nullo commentario opus sit.

Desidia.—Ad vitam sanitatemque tuendam, stimuli externi, inter quos corporis exercitatio maxime eminet, imprimis necessarii sunt: Exercitatione modica sanguinis circuitus promovetur; robur musculorumque tensio adaugentur; hac vero omissa, omnes functiones languescunt: Ut verbis denique eruditissimi Gaubii utar, nimia quies et potentias motrices, et quae movendae sunt partes, in torporem conjicit.

Animi pathemata deprimentia.—Animum inter et corpus nexus atra tegitur caligine, mortalibusque penitus celari videtur: Se autem invicem, aliquandoque violenter, afficere, plurimis probatur exemplis; pathematibus, praesertim deprimentibus, ventriculi totiusque corporis vires pessundari, ex omnium medicorum consensu liquido patet.

Haec verba facit illustrissimus Lindius, cujus de scorbuto sententia omnibus aliis anteponenda est: " I am fully confirmed in my opinion, that whatsoever weakens the

the conſtitution, and eſpecially the organs of digeſtion, may ſerve, without any other cauſe, to introduce this diſeaſe, in a ſlighter or higher degree, even among ſuch as live on freſh greens, vegetables, or the moſt wholeſome diet, and in the pureſt air."

His igitur omnibus rite perpenſis, nonne nobis, tanta auctoritate ſuffultis, concludere fas ſit

CAUSAM PROXIMAM,

Totius corporis, ventriculique praeſertim, debilitate conſiſtere, qua ad nutrimentum corpori parandum impar evadit * ?

Poſita

* Forſan ex putredinis fautoribus dicet aliquis, *ſolidorum putredini* cauſam hujus mali tribuendam eſſe : Quid vero per putredinem intelligendum, nondum inter medicos convenit ; mea quidem ſententia, ſphacelus et gangraena ſola ſolidorum putredinem indicant : Haec autem, etiam in peſſimo hujus morbi ſtatu, rariſſime occurrunt.

Posita *nostra* causa proxima, plurium signorum ratio adeo evidens est, ut pauca eorum solummodo enucleare necesse videatur. Signa, primo in stadio notatu digniora, sunt,

1. *Spirandi difficultas, et palpitatio cordis.*—Haec duo ex eadem causa pendent; palpitatio, ex eo quod cor debile, sanguinem musculorum actione acceleratum, ac in ipsum ideo majori quantitate advectum, in pulmonem magis nunc quam in sanitate resistentem, propellere nequeat: Haec autem resistentia tam ex respirationis musculorum, thoracem dilatare non valentium, quam ex ipsius pulmonis atonia, et sanguine in ipso retardato, oritur: Pulmonibus hoc modo infarctis, major aëris quantitas ad ipsos dilatandos desideratur, unde celerior et difficilior respiratio.

2. *Dolores varii vagique, pectoris praesertim,* &c.—Ea est cordis et arteriarum debilitas, ut sanguis cursum suum libere non

non peragat, ſed quaſi retardetur; unde vaſorum diſtentio, et ex hac dolor; hoc confirmatur ex eo, quod ruptis vaſis, ſanguineque effuſo, dolores ceſſent; eodem modo dolores pectoris et articulorum explicari poſſunt.

3. *Gingivarum tumores, pruritus, haemorrhagiae, halituſque foetor.*——Gingivae flaccidae et laxae ſanguinis congeſtum facile admittunt, unde tumidae apparent; pruritus ex ſanguine accumulato, vaſa diſtendente, quae, vel minima vi illata, facile rumpuntur, ſanguinemque fundunt, pendere videtur.

Halitus foetorem, effluviis e gingivis putridis dimanantibus omnes fere ſcriptores tribuunt, ſed immerito, ut mihi videtur: Halitus enim, nulla putredine apparente, vel etiam ſuſpicata, graviſſime olet, ut ex his qui per aliquod tempus inediam paſſi ſunt, ex foeminis menſtruum debitum ſolventibus, et ex his quoque, qui hydrargyro utuntur, conſtat: Nonne ergo potius a morbida

glandularum

glandularum ſalivariarum, vel pulmonum ſecretione, halitus foetor pendere videatur? Haec ſententia celeberrimi Lindii obſervationibus ſuffulciri videtur; cadavera enim, hoc malo mortuorum, neque gravius olere, neque citius quam alia cadavera putreſcere, refert.

Signa in ſecundo ſtadio notanda ſunt,

1. *Membrorum lividi dolenteſque tumores, genuum praeſertim.*—Corpore erecto, vel cruribus dependentibus, vaſa debilia et flaccida, propter difficiliorem ſanguinis, contra gravitatis vim, aſcenſum, adeo diſtenduntur, ut humoribus dilatantibus reſiſtere nequeant; unde dolor et tumor artuum illorum.

2. *Muſculorum rigiditas, crurumque retractio.* Muſculorum rigiditas ex ſanguinis effuſi diſtentione mechanica, teſtantibus Rouppeo et Poupartio, pendet; muſculi autem artus flectentes, hoc modo ſanguine diſtenſi,

diſtenſi, breviores fiunt, membraque ideo quibus inſeruntur retrahuntur.

3. *Moeſtitia*, &c.—Animi alacritas et fortitudo ex certo quodam corporis vigore pendet; unde, corpore debilitato, moeſtitia et timiditas ſequuntur.

Signa in ſtadio tertio notanda ſunt,

1. *Haemorrhagiae ex diverſis corporis partibus.*—Tanta eſt in hoc ſtadio vaſorum flacciditas, ex virium vitalium defectu, ut ſanguis, ſolito more non circulatus, ruptura aut anaſtomoſi facile prorumpat.

2. *Cicatrices ulcerum callique oſſium ſolvuntur.*—Haec ſigna, in praelectionibus ſuis, abſorptioni clariſſimus Joannes Hunter tribuit; et rem ſic ſe habere veriſimile videtur; corpus enim quotidie deteritur, et, in hoc morbo, nutrimento ad jacturam reparandam non ſuppeditato, hae partes,

tes, ob ſtatum ipſarum minus perfectum, primo patiuntur.

3. *Ulcera mali moris, fungique in iis*, &c.— Ea eſt vaſorum atonia, ut pus laudabile, ex quo ulcerum curatio pendet, formari nequeat; hinc ulcera mali moris: Fungi ex ſanguine effuſo formari videntur.

PROGNOSIS.

Priuſquam aliquid de ejus praeſagiatur exitu, quamdiu duraverit, quamque alte radices egerit morbus, conſiderandum eſt. Si ſtadium primum non exceſſerit, imo, etiamſi ſtadium ſecundum ingreſſus fuerit, viſceribus adhuc illibatis, loci mutatione, victuſque ratione idonea, curatio abſque aliorum fere remediorum auxilio, ſperanda eſt. Caeterum, ſi ad ultimum ſtadium pervenerit, et graviora adfuerint ſigna, qualia ſunt, magna ſpirandi difficultas, deliquium animi, diarrhoea

arrhoea cruenta, haemorrhagiae immodicae, aut hydrops; infelix exitus jure timendus eſt. Abſentibus vero his ſignis funeſtis, in quovis ſtadio ſanatu minime difficilis invenietur.

Cauſis ſigniſque hujus morbi perpenſis, cauſaque proxima, ex horum conſideratione, extra dubium, ut ſpero, poſita; jam ad curationem devenimus, quae felici cum exitu, ſequenti ratione fieri experientia conſtat: nempe,

I. Vires vigoremque corpori reſtituendo.
II. Urgentia ſigna mitigando.

Primo conſilio ſatisfit,

1. Cauſis excitantibus occurrendo.
2. Remedia roborantia et ſtimulantia adhibendo.

Cauſis excitantibus occurritur,

1. Diaeta nutriente.
2. Coelum frigidum humidumque mutando.
3. Exercitatione.
4. Animum exhilarando.

Diaeta nutriens.—Haec ex vegetabilibus recentibus carneque recens mactata optime paratur, et ad hunc morbum curandum omnibus aliis praestat : Ex his autem varia parantur alimenta, inter quae optima sunt jura carnium quibus olera incoquuntur, ut brassica, lactuca, chicoreum, spinachia, acetosa, cherophyllum, petroselinum, imprimis porrum, cepae, rapa, daucus sativus, &c. Mari vero, ubi haec comparari non possunt, jura carnium concreta, vulgo jus portabile, vegetabiliaque condita, praesertim brassica, eorum vices obire compertum est. Quando aegri diaeta nautica per aliquod tempus usi sunt, vegetabilia recentia et fructus horaeos vehementer exoptant ; et haec multum prodesse constat, praesertim stimulantia et acida, qualia sunt nasturtium aquaticum, cochlearia, caeteraque antiscorbutica dicta. Omnibus fructibus palmam praeripiunt aurantia, limones, et citrea ; haec enim non solum ad corpus nutriendum, verum etiam ad secretiones excretionesque promovendas, quibus morbus

semper

ſemper ſublevatur, plurimum prodeſſe inveniuntur.

Potus optimus eſt pura et bene lupulata cereviſia, aut quae ex pinu Americana et cum faece Sacchari conficitur (Anglice *ſpruce-beer)* vel ſuccus ex pomis expreſſis. Clariſſ. M'Bride infuſum bynes in hoc morbo multum laudat: Et celeber. Lind hunc liquorem nutrientem, et hoc morbo laborantibus valde idoneum, experientia confirmat. A Boerhaavio, Lindio, et Rouppeo, lac, et ejus ſerum, praeſertim iis qui multum debilitati ſunt, apprime eſſe utilia affirmatur. In principio autem haec diaeta caute adhibenda eſt, ne diarrhoea, duris et ſiccis victitare conſuetis, ſuperveniat. Memoria autem tenendum eſt, diaetam ab illa, quae ad morbum producendum contulit, natura diverſam, ſemper adhibendam eſſe, praeſertim ſi aegri, quorum deſiderio ſemper indulgendum eſt, deſiderent: Conſtat enim ex obſervationibus clariſſ. Wilſon, morbum diaeta vegetabili terra inductum,

diaeta

diaeta nautica mari curatum fuiſſe.—*Wilſon on the Influence of Climate.*

2. *Coelum frigidum humidumque mutando.* —Ex humido impuroque aëre in purum ſiccumque migratio, ſcorbuto laborantibus admodum prodeſt. Hoc confirmatur a clar. Lindio, qui multa refert exempla, in quibus plurimi ex aëre humido culcitiſque madidis in navibus, in aëra ſiccum et cubilia ſicca terra, advecti, nullo alio auxilio adhibito, ſanitatem recuperavere: Haec vero migratio caute inſtituenda eſt; non enim, niſi pedetentim et prius vini cyatho hauſto, ex aëre navis in aërem atmoſphaericum exportandi ſunt; alioquin, Lindio teſte, ni ſubito mortem oppetant timendum eſt. Quando vero mari haec aëris mutatio fieri nequeat, frigoris atque humoris effectibus, ignibus veſtimentiſque calidis occurrendum eſt. Scorbutum veſtimentorum inopia ſaepius quam ulla alia cauſa in navibus exoriri, celeber. Rouppeus meminit: Induſtriaque qua ad haec egregius Cook advertebat, jure

cauſa

cauſa cenſenda eſt, quare nautas ſuas, diaeta licet nautica plerumque viventes, per triennium a diro malo immunes ſervavit.

Exercitatio.—Haec incipienti morbo feliciter occurrere invenietur, morbo vero provecto, cautiſſime adhibenda eſt; non deſunt enim qui in hoc morbi ſtatu, corpus exercere coacti, animam ſubito efflavere: Qui igitur multum debilitati ſunt, frictione ſedulo uti debent: Si vero lecto vulneribus vel quovis alio caſu affigantur, tunc ſtratum artificio aliquo ſuſpendi, motumque oſcillatorium talem, qualem aeger perferre poſſit, perfici, Rouppeus ſuadet; et talem motum multum prodeſſe Lindius affirmat.

Animum exhilarando.—Multa tradidimus exempla, in quibus moeſtitia, animique pathemata deprimentia, morbum violenter et ſubito excitarunt; nec deſunt in quibus pathemata exhilarantia morbum pepulere. Celeber. Ives ſe ſeptuaginta hoc morbo laborantes,

laborantes, 30. Januarii die 1774, in mari Mediterraneo vidiſſe memorat; 11. autem Februarii ſequentis die, hoſtium claſſi appropinquandi gaudio, letaque victoriae ſpe elati, adeo revaluerunt, ut omnes munere ſuo fungi valerent. Vander Mye pariter nobis narrat, Breda obſeſſa, morbum, nuncio laeto, ex toto fere coercitum fuiſſe, aegroſque nullis remediis adhibitis convaluiſſe. Ægrotantium animi igitur, quantum fieri poteſt, exhilarandi ſunt; huic autem conſilio, muſica, ſaltatio, et alia id genus oblectamenta, reſpondent.

Ad ſecundam partem primi conſilii nunc devenimus, nempe,

Remedia ſtimulantia et roborantia; haec ſunt,

I. Vinum.
II. Tonica remedia.

Vinum.—Hoc omnibus aliis ſtimulantibus praeſtat: Corpus enim non ſolum ſtimulat et roborat, verum etiam mentem exhilarat, curam expellit, metumque abigit.

Hinc,

Hinc, quantum in hunc morbum valeat, luculenter apparet: Praeclarum hoc remedium ſaccharo et ſucco limonum dilui Lindius praecipit; unde magis diureticum et diaphoreticum (quod in hoc morbo maximi momenti eſt) evadit: Et omnibus aliis medicamentis hanc mixturam cardiacam palmam praeripere contendit.

Ubi vero non datur copia vini, potus, quodammodo huic ſimilis, Anglice *Punch* dictus, ex ſpiritu deſtillato aqua diluto, cum ſaccharo largaque vi ſucci limonum aut aurantiorum confectus, felici cum exitu adhibeatur.

Remedia tonica.—Inter haec cortex Peruvianus omnibus aliis jure antefertur; et in hoc malo, praeſertim ulceribus mali moris urgentibus, multum prodeſſe invenitur; nihil vero, niſi larga manu datus, efficit. Amara quoque vino infuſa, ſicuti gentianae radix, chamemaeli flores, aurantiorum cortex, et centaurii minoris ſummitates, ad ventriculi totiuſque corporis vires reficien-

das,

das, ab illuſtriſſimo Lindio multum collaudantur. Aquas ferratas Hoffman et Van Swieten laudant: Hae vero, ferrum in aqua aëre fixo ſaturata ſolvendo, ubique terrarum facillime parandae ſunt.

Exercitatio, quando aegri vires patiuntur, ad corpus roborandum maxime confert; caveatur autem ne aut inviti, aut ad fatigationem uſque, ſeſe exerceant. Denique tamen obſervandum eſt, nutrimento idoneo negato, cauſiſque excitantibus non evitatis, medicinam fruſtra parari.

Jam ſecundo conſilio (urgentia ſcilicet ſigna mitigare) conſulendum eſt. Haec vero ſunt gingivae tumidae, fungoſae, ſanguine fluentes; dolores; crura tumida vel ulcerata; diarrhoea cruenta; dyſpnoea; denique haemorrhagiae periculoſae.

Ad gingivarum mala ſublevanda, gargariſmate ex aqua hordeat. ſpirit. vitrioli, et tinctura myrrhae compoſito, ora, praecipue ante cibum porrectum, lavanda; fungique ſcalpello amovendi ſunt.

Dolores:

Dolores : Hi generali medendi rationi plerumque cedunt ; ſin minus, et praeſertim ſi cutis ſit arida, ſudorifica, ut balneum tepidum, et pulvis Doveri, commendantur ; his vero deficientibus, epiſpaſtica, partibus dolentibus applicata, maxime profutura invenientur.

Crura tumida vel ulcerata in ſitu ſupino tenenda, aceto calido, vel herbarum aromaticarum et ſtimulantium, decoctis fovenda, et poſtea linteis calidis involuta, faſciis leniter comprimentibus liganda ſunt. Quidam artus inferiores totumque corpus, capite excepto, terra recenter effoſſa per horas aliquot quotidie ſepeliere, donec ſudor copioſe erupiſſet, et commodum inde afferri putarunt.

Si crura fuerint dura et retracta, aceti vel ſpiritus vinoſi vapore ad ſudorem eliciendum fovenda, oleoque palmae, vel ſambucino, poſtea inungenda ſunt.

Ulcera linteo ſicco, vel myrrhae, vel corticis Peruviani tinctura imbuto, curanda ; et

ad fungos coercendos leniter comprimenda ſunt.

Diarrhoea cruenta: Ad hoc plerumque lethale ſignum ſublevandum, validum corticis Peruviani decoctum, cum opii tincturae quantum tuto adhiberi poteſt, libere ſumendum; juſculumque ex carne ovina confectum, cum vini rubri pauxillo, pro enemate, ſaepius injiciendum eſt. Ipecacuanha, parvis doſibus adhibenda, a Lindio commendatur.

Dyſpnoea: Ad hanc ſublevandam, oxymel. ſcillit. gum. ammoniac. aliaque expectorantia, cum epiſpaſticis pectori applicatis, remedia efficaciſſima comperiuntur.

Haemorrhagiae, cortice Peruviano, aſtringentium et libero acidorum foſſilium uſu, ſublevandae ſunt. Si ſanguis ex parte, ad quam chirurgi manus pervenire poteſt, fluat, aſtringentia et faſciae extrinſecus comprimentes admovenda ſunt; ſi vero ex parte abſcondita majori copia effluat, vix ullo medicamento aegrum a periculo eripias. Haec ſunt ſigna ſublevationem (ut

mihi

mihi videtur) maxime poſtulantia : Si huic morbo alius, uti phthiſis, icterus, aut hydrops, conjungitur, medicamentis unicuique idoneis, ſcorbuto amoto, debellandus eſt.

De prophylaxi dicere ſupervacaneum duxi ; cauſis enim remotis evitandis, quas accurate enumerare conatus ſum, tota conſiſtit.

F I N I S.

an 6/3
26/4